


05

A

893





ANNUENTE DEO.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
DE
**MEMORIA IN-
TELLECTVS**

An
Detur Eadem propriè dicta; Et Num Se-
parabilis cum animâ post mortem, quæ
comparata in his terris,

*CONSENTIENTE NOBILISSIMA FACUL-
TATE PHILOSOPHICA*

PRÆSIDE

GODOFREDO CREMERO,
ANHALTINO, PHILOSOPHIÆ MAGISTRO,

RESPONDENTE

**MARTINO CHRISTOPHORO
FRENSTORFFIO,**
ANHALTINO. SS. Th. & Phil. Stud.

HABITA PUBLICE

FRANCOFURTI AD ODERAM
In Acroaterio Philosophorum Majore
d. Jul. M. DC. LXI.
H. E. L. C.

Typis EICHORNIANIS,

00
ms

MEMORIA
TELLURICA



50 A 893

GODFREDO CREMERO
MARTINO CHRISTOPHORO
ERNESTO
ANALISI
FRANCESCO
M. E. C.

2121





§.

I.



Psa de anima
Tractatio illu-
stris atq; eximia.
Proprium enim
hominis bonum est, quo &
talis est, & ab omnibus di-
stat. Cetera illi cum omni-
bus communia animalibus.
In hujus participationem
nullum venit. Considerare
hanc altera humanæ sapien-
tiæ pars est. Ducit enim ad
Cognitionem sui. Ergo si
omnis res cum bonum su-
um perfecit, laudabilis est;
& ad finem naturæ suæ per-
venit, homini autem suum
bonum sit nosse se & ani-
mum suum, si hunc perfe-
cit, laudabilis est & natu-
ræ finem attigit: hic rectus
& consummatus felicitate-
tem hominis implevit. Per-
fici autem nequit, nisi sciat
qualis sit, & quò deficiatur.
Omnis ergò eximiæ perfe-
ctionis initium est, nosse
bonum suum, animam
nempè. Non quæras quid
in Te maximum, sed quid

tuum. Tuum autem nihil
magis, nisi hæc pars. Sanus
es. Et leones. Pulcher. Et
Pavones. Velox. Et Equi.
Vinceris etiam ab his. Vo-
cem enim habes? Sed quan-
to clariorem canes, acutio-
rem æquilæ, graviorem tau-
ri, dulciorem luscini. Divi-
tias possides, & auro argen-
toq; oneratas mensas; Ha-
bes servorum turbas & Cli-
entum? Te nondum perfici-
unt. Qui ex confessio mali
sunt, eadem habent. Eques
es. Gloriosum nomen ha-
bes. Nomina ex ambitione
nata sunt. Non potest ex
hac materiâ imago Deo ex-
primi similis. Quam in ani-
mo geris, si te intueris rectè.
Quo illustrior tamen & ho-
nestior hæc ipsa sapientia
est, eò minus facilis nobis.
Et hoc, quò magis abest à
nobis vera sapientia. Pristi-
næ labis vestigia sunt, inqui-
rere in hæc, quæ ipsi sumus.
Et de defectu convincit eti-
am Gentilem. - Naturam

A 2

non

non egreditur nostram animus, quia ipsa est. Cognitum Cognoscente non ab-
ludit proportio. Præsentis-
simus secum est intellectus
& maximè vernaculus sibi,
non peregrinus, nec finibus
remotus. Difficile tamen
est, nosse se.

II. Fœcunda hinc erro-
rum seges. Diversæ opinio-
nes, ut quisq; placito suo &
ingenio hæsit. Non apud
Gentiles solum. Inter Chri-
stianos etiam. Palpamus in
tenebris, universo generi
humano communibus. Qui-
bus datum est, ut supra alios
sapiant, nunquã tantæ fidu-
ciæ fuerunt, ut satis se sci-
re, etiam ea, quæ sciunt, arbi-
trentur. Hæret semper, quod
nescis. De anima abstrusa sa-
tis omnia. Ipsa Origo & in-
cunabula apud Doctos inter
Disceptationes est. Nesci-
mus, unde simus, aut dubita-
mus verius. Dubitatio au-
tem non scientia. Miras le-
gis apud Veteres & recentio-
res de hac materia senten-
tias: ut mireris tantum de
se ipso fingere potuisse ani-

num humanum & adhuc
posse. Quicquid sit, mitti-
mus nunc hæc, & ad propo-
situm nostrum descendi-
mus, quod ipsum ut felicius
fiat Deum rogamus, ut vires
& rationes largiatur, ne er-
rores sequamur, sed sapi-
entum & veritatis vestigia.

III. Tota autem de animã
Cognitio absoluta est per
Tractatum de anima per se,
& in facultatibus. Hæ sunt
vel animæ essentielles & for-
maliter competentes, vel ta-
les, quæ sunt in anima &
eidem competunt, secun-
dum efficientiam, quatenus
est principium earum ef-
fectivum, in corpore. Atq;
adeò secundum totale & a-
dæquatum esse suum de-
pendent à corpore etiam;
inadæquatè ab animã. Prio-
res sunt intellectus & vo-
luntas. Hæc motiva & ap-
petitiva. Ille cognoscitivus.
Appetere est velle & eli-
gere. Cognoscere intelligen-
te & ratiocinari. Posteriores
sunt vis vegetativa & sensi-
tiva, quæ principium effecti-
vum habent in animo; re-
cepti-

ceptivum in corpore. Sub-
jectantur enim ibi. Ab his
denominatur homo, quia
sunt in toto homine secun-
dum esse perfectum, & ab iis
totus homo secundum u-
tramq; afficitur partem. Ab
illis denominatur homo
quia potioris partis sunt.
Pars autem Totius est.

IV. Quærimus autem
nunc contemplari & co-
gnoscere partem Animæ,
quâ cognoscit & sapit. Nec
tamen eandem totam. De
parte partem discerpimus.
Sed de potentia dicendum,
quam memoriam perhi-
bent, an verè & propriè In-
tellectui competat & ejus
sit potentia. Negant enim
multi. Deinde an separabi-
lis post mortem; Seu; An
Anima secum deferat eo-
rum memoriam, quam in-
terris his comparârat, ad
beatas sedes, & recordetur
eorum, quæ acta sunt in ter-
ris. Huic illam præmissi. Id
enim agi oportuit; Et pre-
cium operæ redditur. Nec
enim disputare licebit, an
deferatur ex corpore, quæ

nunquam fuit, aut esse po-
tuit. Quod non est, Nec se-
parari potest. Non entis nul-
lum prædicatum. Aut si est.
Positivum saltem non erit.
Verissimum sanè erit, nisi
competat intellectui verè
memoria, ut memorativus
per se sit; etiam non erit post
mortem. Nulla enim com-
parari potest. Potentia au-
tem est propter actum.

V. Videntur erga animum
pesimè animati esse, qui
negant divinam hanc po-
tentiam in intellectu: in se
ipsum injurii. Ultimam quip-
pe denegant perfectionem.
Se ipsos nudos intellectu
produnt; Cum enim anima
naturali operandi modo fa-
cta fuerit ea, quæ nunquam
fuit; ne maneat, quod erat,
etiam hoc demunt: Ut o-
pus fuerit, toties totiesq;
eandem renasci, ut aliquid
etiam cum sit, momento
non sit. Egregiam verò per-
fectionem, quam ob id con-
secutus diceris, quod alter
beatus sit. Quam perfectio-
nem confici concedunt in
inferiori sensuum parte, sin-
gula-

gularium destinato loco, humido an sicco? nolunt effici in diviniore potentiâ, spiritali subjecto, nullis mutationibus obnoxio, quia nec humidum nec siccum nec alio quovis modo affectum, sibi semper simillimum. Sedem specierum servat anima in parte sensuum materiali; eandem singularium, quia sensibilibus tantum: Suam suppellectilem (universalia volo & intelligibilia simpliciter) quô tueatur, non habeat secum. Aliter sentio. Atq; iis ad stipulor, qui pro divinâ hac perfectione animæ totis viribus pugnant. Vacuum cæteris animum non invideo, quia nostrum, id est, humanum vacuum volunt. Vacuum enim aut vanum esse oportet, qui non intelligunt, dum etiam intelligere volebant. Nostrum autem his simillimum reddi nolo. Intelligo enim intelligere sapere esse, quod non esset, nisi cum perpetuitate & sine oblivio. Quæ enim sapientia, quæ momentanea. Quæ nec ul-

tra actum est. Unde repetam, aut quo me sapientem aut sapere dicam, nisi divinam partem mecum geram. Ipsum Contemplari memorare videtur: quia non sine discursu est: Ipse discursus non sine memoria. Putare unum ex alio reminisci est, aut non sine eo. Quod ipsum reminisci quasi syllogismus sit. Necessarium est ergo, ipsum intellectum per se esse memorativum & habere memoriam: quia sapientem esse & prudentem, Conscientiosum, ipsi per se competent.

VI. Aliquid dixi. Et minus forte, quam quo faties animum tuum. Efficacius loquar, & evidentius probabo memoriam hanc; cuius scilicet est recordari, intellectus esse propriè, & intellectivam dari potentiam, quæ recordativa sit præter sensualem. Rem ita componimus. Videtur autem recordari esse præteritorum, ut præterita sunt etiam. Neq; non verissimum putamus

mus, talem actum esse in nobis, qui cognoscat præteritum, ut præteritum. Minus de Veritate participat futurum, quia contingens etiam est: Ipsum præteritum tantum de necessitate, quam impossibile, ut per Dei potentiam reddatur non tale. Contradictorium est. Futuri autem habetur cognitio. Datur enim providentia in nobis; Ergo multo magis præteriti. Evidentia in eo est; Felicius subest actibus nostris, quod immutabile; Quod pendet ex fato, adeo non nostrum, uti propius casum est. Præterea Prudentia est præteritorum. Eam verò eximere ab actibus humanis, imprudentia est, quâ abjicis Te ad conditionem Brutorum. Tertio etiam, nisi præteritorum habeam, rationem, præmii quoque & poenæ inferendæ nullam. Nesciremus enim ob quod præmio vel poenâ afficeremur. Conscios verò plecti jubet Lex, quæ non contra rationem est. Datur ergo præteritorum actus in nobis, ut sunt præ-

terita etiam. Quæ memoria est. *ὄυτε γὰρ τὸ μέλλον ἐνδέχεται μνημονεύειν. ἀλλ' ἔστι δόξασόν καὶ ἐλπισόν. εἴη δ' ἂν εἰ ἐπισημη ἐλπικῆ, καθάπερ τίνες ψάσι τὴν μανθικῆν. ὄυτε τῶ παρόντι, ἀλλ' ἀποθησι. τὰύτη γὰρ ὄυτε τὸ μέλλον, ἔτε τὸ γενομένον γνωρίζομεν, ἀλλ' ἂ τὸ παρόν μόνον. ἡ δὲ μνήμη τῶ γενομένῃ.* Philos. lib. de mem. cap. i.

VII. Quia verò memoria est præteriti aut facti, debet esse post tempus. *διὸ μετὰ χρόνον πᾶσα μνήμη.* c. l. alioquin enim non esset præteriti. Et quia est præteriti ut præteriti, percipit illud, id est, cognoscere oportet, fluxum temporis inter illud instans, quod est ab actu præsentis memoriæ, & illud, quo primò fuit cognitum, cujus est memoria. Duplex autem cum præteriti ratio esse possit, cujus est recordatio, nempe actus, ut sensationis, aut intellectationis præteritæ, & circa quod actus erat: Duplex etiam recolligentis objectum, 1. proximum, ipse actus. 2. Remotum de quo olim cognitio

tio erat. Sensisse & intellexisse enim involvunt hoc: Sunt enim actus circa aliquid. Et quia duplex objectum, duplex quoque ratio recordandi: altera fertur immediate in actum ipsum: altera in objectum eius. Prior reflexiva est ad actionem, in quantum habita: Posterior ad objecta. Prior esse potest & est etiam, dum non memini specialiter objecti, aut plane non. Posterior nunquam est, quin prior inducatur. Actum autem præteritum quando dico immediate esse recordabilem: Actum. 1. intelligo, qui fuit perceptibilis, ut excludam vegetabiles & qui non perceptibiles. Non percepti nulla recordatio. Non recordari datur, quantum hodie creverim, quam bene concoxerim cibum, quantum sanguinis ex chylo hauserim. 2. intelligo actus proprios. Non recordor, alium sensisse hoc vel illud: nisi quia ipse cognovi. Non recordor mundum creatum, quia non sensi, nec vidi ipse.

Excep. Atqui tamen recordari potero, alium intellexisse hoc, fecisse &c. R. Objecti hoc rationem habet, in respectu proprii actus. Non enim recordor, nisi quia ipse novi, aut intellexi, alium illud fecisse. Non enim recordor te sedisse, nisi quia vidi te sedisse.

IIIX. Positis his videtur facile evinci posse, necessario dandam in homine Intellectus memoriam, cum non aliis, nisi huius fuerit, istorum omnium recordari, quæ in homine dari probavimus. Sunt enim pleraque solius hominis; Ergo nec alterius potentia, nisi quæ ejusdem. Quod sequentibus conficere confidimus.

IX. 1. Quia recordatio datur in nobis præteriti ut præteriti. Hæc autem non sensuum potest esse, siquidem cum temporis computatione est: Temporis enim pars præteritum est. Præteritum etiam ut præteritum est collatio prioris ad posterius; futuri item. Hoc autem nosse nulli sensui competit, si-

qui-

quidem futurum ad muta-
non pertinet, teste Seneca, E-
pist. 124. Præteritum autem,
ut præteritum, rectè non in-
telligo, nisi tempus quoq;
cujus partes præsens, præte-
ritum & futurum. Tempus
autem, in quantum tale, non
cognoscibile à sensu. Præ-
sens cognoscit sensus, sed
absq; hoc, quid præsens sit,
& ut præsens est, Præterito-
rum recordatur, sed absq;
hoc, ut præterita sunt. Futu-
rum nunquam, nec ea quæ
futura sunt. Horum omni-
um autem cognitio in no-
bis. Sensus non est. Ergò
alterius potentie, quæ præ-
ter intellectum nulla est. E-
jus etiam recordari horum.

X. 2. Oportet recordan-
tem percipere actum, & pro-
prium quidem, tanquam ob-
jectum proximum, & refle-
cti ad id. Sed sensitiva poten-
tia non potest reflecti ad a-
ctus suos. Materialis est nec
conversiva in se. Visus
non videt se videre, nec au-
dit auditus se audire. Non
tactus se tangere tangit. Sen-
sum communem hic præse-

cerunt, ut dignoscant illa. Sed
nunquam idem sentit se sen-
tire, quamvis alios: Et quia
non sentit se sentire, visum
videre; nec recordari pote-
rit in præterito, vidisse vi-
sum; non enim recordabi-
tur, nisi quia cognoscit se co-
gnosse hoc: Vidisse enim vi-
sum, non alio modo nosti,
quã quia nosti vidisse olim:
licet videre, dum videat, sen-
tis. Vidisse autem non senti-
re potes, nisi ex cognito pro-
prio actu. Idem porro non
poterit præstare alius sensu-
um interiorum, si quis est.
Argumentatio enim valet
de iisdem, quia in hoc eadem
sunt. Ducitur ergo aut à præ-
sente sensus, nec recordatur,
aut recordari dici non potest,
nisi quia præsentem speciem se-
cum habet, cuius delectabi-
lis aut tristabilis ratione affi-
citur. Quod Seneca sensisse
videtur. Animalibus tantum
quod brevissimum est in
transcursu datum, præsens:
præteriti rara memoria est,
nec unquam revocatur, nisi
præsentium occursum. Præte-
ritorum reminiscitur, cum
B id

id incidit, quo sensus admo-
netur. Epist. CXXIV. Aut si
demus etiam, si non alio mo-
do possimus salvare actus
quosdam in animalibus; Sen-
sationum dari memoriam;
Si non in eo sensu, quo fit,
saltem in alio; quod perci-
piatur ab eo. De supremo ta-
men illud affirmari nequit.
Ipsius enim actus nullus su-
perior cognoscere potest.
Supra summum enim nul-
lum est. Et tamen cujuslibet
sensationis in nobis est re-
cordatio, ut experimur. A-
deo etiam ut recordemur,
nos recordatos esse huius vel
illius sensationis in nobis.
Quod an de sensuali recor-
datione possit dici, non vi-
deo: Ideo non potest sensus
habere recordationem actus
sui ut præteriti, saltem gene-
raliter. Ergo datur alterius
potentiæ memoria quæ cir-
ca actus hos versatur; Et
quæ meminerit, qui actus
fuerint, quid fuerint, &
quando & quomodo fuerint.

XI. Propius attingo actus,
quos in nobis deprehendi-
mus recordabiles; Præter

quod enim, sensuum ipso-
rum actus ideò magis ab ho-
minibus cognoscuntur & re-
cordatione feliciter repetun-
tur, quod non sine circum-
stantiis loci & temporis no-
scentur, & illud, quod non
sine intellectu & ratione;
adeoq; maximè hærent, me-
moria etiã sensuum, intelle-
ctui, quia per hunc habet, ut
magis talis sit: Præter quod,
inquam, hi actus sint in ho-
mine: Ipse intellectus pro-
prios agnoscit, quos ut a-
gnoscere ita recognoscere
solum eundem oportet. In
parte ergò rationali duplices
actus sunt, qui circa peculia-
re suum objectum occupan-
tur. Voluntas & Intellectus.
Voluntatis est velle. Intelle-
ctus cognoscere. Cognitio
autem vel directè in obje-
ctum fertur, & directà dicitur;
vel reflexè ad se ascendit
& cognitionem habitam.
Reflexa vocatur. Directus
actus est vel confusus, rem in-
adequatè contemplatus, vel
rectus, qui intelligere rem
completè est: Triplici au-
tem modo fertur in objecta,

1. di-

1. distincta apprehendendo, quod abstractione fit: 2. Componendo jungenda, quæ affirmatio est; & disjungendo diversa, quæ negatio. 3. Discurrendo, qui ex aliis aliud deducit & infert: Syllogismus vocatur, Quod si verò regrediatur, & quid sit apprehendere, quid componere intelligat, actu reflexo id facere dicitur. Sibi enim cum sit præsentissimus animus, facile in se ipsum remeare quit. Quod in immateriali facile aut semper fit substantiâ. Nihil enim in immateriali re præsentius, quam ipsa sibi. Nihil in medio versatur pleni aut vacui. *In iis enim, quæ sunt sine materiâ, idem est, quod intelligit, & quod intelligitur. Arist. lib. 3. de an. c. 4. t. 15.* Tota simul essentia & secum & in uno est. Non extensa enim. Scit ergò intellectus se intelligere: Se ipsum contemplatur & qualis sit, & qualis nunc in actu: Cognoscit se & cognoscere, & cognoscendi habere potestatem: Verbo, scit se intellectum esse. Nam nec

intellectus est, qui se non nosse potest. Non explicanda hæc sunt. Referenda erant. Explicat illa Schola Logicorum. Et subtiliter de his, id est more suo, differit Excel Grebenitz *in Colleg. Log. & Metaph.* Horum autem actuum deprehenditur efficax recordatio in nobis, ut etiam incautis nonnunquam incidant, & aliud agentibus, pro ut nimirum frequentiores nobis fuerunt, & familiares: Ut, licet etiam nesciamus quid cognoverimus, aut voluerimus; Voluisse tamen & cognosse non lateat: Imò: Non tantum recordamur cognosse nos illius, per oppositum etiam scimus, nos non intellexisse rem illo tempore. Supra sensus tamen hi actus sunt; Nec ei subicibiles. Frustra ergo recurritur ad sensuum capsulas. Non repetas, quo aut rem non deponis, aut ipsa deponi non potest. Penum habemus extra cæteras ædium partes. Intellectus cum immediatè cognoscat se & actus suos; Servat etiam memoriam eorum,

rum. Solus recordatur: quia solus scit eadem, & solus de se ipso cognoscit, & intelligi à se, & se intelligere, se à se intelligi. Ut nulla sint quæcunq; hinc excipiantur aut cumulentur. Nulla species hujus recordationis videtur esse, qua fiat: nisi ipse intellectus. Non enim intelligit se per speciem, sed per actum reflexum & immediatam sui præsentiam. Aut si per speciem fiat; non inveni à sensibus dicendum: fabricari secum: Extra se enim nunquam fuit: Nec esse in sensibus, nec esse posse. Quia Spirituales sunt. Spirituale non exprimitur nisi spiritali; nec alio conservatur. Sensus autem materialium sunt. Juvat ex scribere verba *Subtilissimi Arriaga: Quando intellectus cognoscit voluntatem amare aut odio habere aliquod objectum, se ipsum illud idem cognoscere, aut se antea non cognovisse &c. Non cognoscit, hæc omnia per discursum ex cognitione materiali, sed immediatè per experientiam & reflexionem, Ergò non cognoscit*

hæc objecta per species materiales, quia hæ non concurrunt ad cognitionem objecti spiritualis, nisi mediatè & per discursum: ergò id cognoscit per species spirituales, Quibus postea recordatur eorum actuum, quos antea fecit. Arriaga Disput. IV. de Anim: sect. 1. subf. 8. n. 86. Et Voetius Tract. de an: sep. p. 591. & 592.

XII. Hæc de actibus, quorum recordamur in nobis, & qui solius sunt partis intellectivæ; Et ab eadem recordabiles. Alienè à sensuum memoriâ: quia proprii intellectus: Actus autem nisi proprii, tanquam proximum objectum, sunt recordabiles. Ultra Entitatem Materiæ est, percipere spiritualia: Naturæ sensuum impossibile, reflecti ad actus facultatis superioris.

XIII. Nunc ulterius progredior, ad objectum Recordationis remotum: Circa quæ in nobis reperiri recordationem & memoriam utrinq; concessum est. Probandum incumbit, dari in nobis objecta, quæ non nisi intel-

intelligibilia, atq; aded nec memorabilia nisi in parte intellectiva. Ut actus superius intellectui vindicavimus proprios, quibus destituuntur sensus; ita nunc objecta eidem facimus peculiariora, per quæ discriminatur à sensibus & ab earum operationibus. Et quia objecta hæc per se sunt recordabilia, ut experimur; Ergò non à sensu; Ergò ab intellectu. Parum est, quod per sensuum confortium manifestatur nobis. Species accidentium sunt. Et per illas cognoscimus substantiam. Abstractivè nimirum & per discursum devenitur in cognitionem substantiæ. De eo quod fuit representativum singularis, intellectus agens facit representativum Universalis, & secum unit in intellectu possibili, qui receptivus est, quod agens facit. Per hoc naturaliter est Cognoscens & intuens, quod representatur secum. Formalitates illas in se ipso fabricat; nec peregrè proficiscitur, dum creat universaliora: discurret intra se,

& elicit, si quid involutum est. A Phantasiâ recipit quod compositum erat: Quî compositum fuerit & quid sit, secum solus habet intellectus. Quo fruitur etiam. Postquam hæsit firmiter. Sensus judicat calidum & frigidum: Intellectus autem non modo illa; Sed eorum esse atq; essentias: *Non magnitudinem tantum, sed magnitudinis esse. Non aquam; sed esse aquæ; omniumq; differentias.* Singularem hominem intuetur sensus; non quid singulare sit. Cortices rerum vident, non intima sensus. Quibus imponit leviter inducta extrinsecus facies. Colores translucent in visu. Quid color sit, ignotum. Totum vides, qui præ te positus est lapis: Non totalitatem. Lapidem calcas, & quid sit fugit Te. Non enim sensus sunt sed intellectus, abstrahere & cognoscere essentias rerum, ponere differentias & genera. Revertè Simplicius loquebatur: Universaliora cognitione esse in animo, at re ipsâ existere

stere in singularibus: In animo ergò geris; Latent enim à sensu: quia latent in singulari: Quomodo abstractione opus est.

XIV. Et quid referam hæc? Majora sunt in quibus se abdit humanus animus. Tendens ad omnes gradus superiores, ad generalissimaq; deveniens, discurret ab his, quæ videt, ad Ea, quæ non videt; & ab his quæ intelligit, ad ea, quæ non intelligit: Ab illis quæ sunt, ad ea, quæ non sunt: Distinguit quæ esse possunt, & quæ implicant, & impossibilia sunt. Judicat insuper inter corporalia & spiritualia; Deum, Angelos, & qui inferas sedes colunt, malam turbam, pessimos Genios intuetur: Deum, inquam, & omnia spiritualia, in quantum creaturæ patet Creator, & in quantum possibile infinitatem comprehendit à finito; Comparativè, discursivè, etiam per viam negationis, ab iis omne quod est corporeum, aut sensuale, finitum removendo. Ut necessum sit vel hac solâ

ratione intellectum peculiare quid habere; cujus ut peculiarem cognitionem habet, ita peculiariter quoq; ejus sit reminiscitivus. Adeoq; memoriam intellectui primò, per se & immediatè comœtere, ex hoc, quia horum scientia ei primò, per se, & immediatè vendicatur: Hæc autem non sine memoria.

XV. Luculentius illud manifestatur ex Naturâ habitus: Quo intellectus qui prius erat potentia remota essentialis tantum & indifferens, ponitur in potentiâ proximâ accidentali ad intelligendum hoc. Licet enim intellectus determinatus fuerit in genere & communiter in ratione objecti communis, in quod naturaliter inclinatur. Indeterminatus tamen erat ad objecta particularia, ac modos operandi benè vel malè, facilè, promptè & expeditè, quibus indifferens patebat. Opus ergò determinante, quo circa hoc vel illud benè & facilè operetur, & ejusmodi determinans appellat.

pellamus Habitum, cum sit dispositio potentiae ad bene & facile operandum; & necessario quidem ponenda in quacunq; potentiâ indifferenti ad operandum circa diversa, vel diverso modo circa idem: alioquin non consequetur finem, qui non est alius, quam debito modo propriam exercere operationem. Potentiae enim propter actus sunt: In quantum sunt principium operationis, eam ad eliciendum actum determinans. Determinata vero potentia sit ipsa; ut determinet operationem ad hunc actum. Illud autem erit in intellectu per aliquam mutationem: Non enim ipsius objecti, quia in objecto est tantum ratio rationis. Ergo certe ipsius intellectus. Ipse igitur intellectus ad eum mutatur, ut in hac potentia certâ & determinata ad hunc actum, habitualiter constitutus, sibi ipsi sit principium operandi circa hoc, in quantum hoc. Ex. gr. Metaphysica: Ut non eodem modo in alio habitu minus universalis,

Distincta enim ut objecta horum habituum; ita ipsi quoq; distincti. Et datur habitus utendi hoc habitu; non utendi alio. Deficit enim habitus. Ergo ex habitu contigit habere actum circa universalius eo modo, quo respicitur ab habitu illo universaliori, non habendo actum circa minus universale. Ergo hic actus, per se & absolute non dependet à minus universalis. Ergo per se sufficit, ut ad certum objectum determinet potentiam, circa quod occupetur, quando vult ex se & per se immediate. Inter potentiam hanc & actum nihil mediat. Ipsa enim non esset proxima. A proximâ non datur regressus ad remotam: Proxima enim cum sit ipsa actus quidam, non amplius fiat; nec opus habet, ut iterum moveatur, quo mota est: terminum attingit; non attingere laborat. Perfecto enim aliud non addendum. Nec scire hæc dicetur, nisi secum sint. Ipse ergo quia secum habeat, non aliunde repetat; aut in auxili-
lium

litum Phantastica vocet spe-
tra. Universalius enim di-
ximus posse esse præsens in-
tellectui absq; præsentia ali-
cujus minus universalis, ut
patet experientiâ. Sed si præ-
cise intellectus opus haberet
phantasmate ad universalem
habitum exercendum in
quo est, nunquam esset uni-
versale primò nisi in minus
communi: quia nunquam
nisi in singulari phantasiabi-
li. Quod tamen aperte fal-
sum. Urimur enim habitu
universalissimo, non utentes
minus communi: Hoc au-
tem non fit nisi per immedi-
atam præsentiam universali-
oris, & determinantis po-
tentiam indifferentem, ad
hoc & nunc operandum.
Hoc autem non sine memo-
riâ. *Qua enim saepe intelli-
mus, citò reminiscimur. Arist.
lib. de mem. & rem.* Medita-
tiones autem memoriam
conservant reminiscendo.
Hoc autem nil aliud est
quam speculari saepe. Habi-
tus ergò cum memoriâ est.
Ipse autem in intellectu.
Non ergo & hæc extra il-

lum. Ergo ipse intellectus
per se est memorativus; quia
per se est sciens objectorum,
& actuum, circa objecta
propriorum: Ergo & per se
erit motivus ad se & operati-
ones: Habitus enim per se
inclinant & impellunt, eti-
am immediatè ad id, cujus
habitus sunt. Ultimus finis
hic est operarum nostrarum,
& speculationum, habere
præsentissima sibi, quibus
perficiatur: adeptum esse,
quo diu occupabatur. Frui
nunc, quo olim utebamur.
Id autem per habitum fit.
Non autem fieret, nisi habi-
tûs sit quoq; esse per se acti-
onum suarum movens & im-
mediatè ad id, cujus est habi-
tus. Non autem esset, si per
Phantasmatum memoriam
reducatur semper ad perfe-
ctionem hanc. Ipsa enim
non esset præsentissima sibi:
Sed per phantasma demum
abstrahenda. Nunquam ha-
beret, quod quæsiisset. Sem-
per enim repetendum erit.
Nunquam ergò beatus intel-
lectus: Nisi quia beatitatem
phantasia haberet in captula
repo-

repositam, quærendam, cum
opus haberet. Ipse autem ali-
quando non esset. Sciens &
nesciens esset. Rudis & Doctus,
Omnia & nihil. Beatus &
non beatus. Aliter Aristote-
les, qui totum, quod diximus,
ferè his verbis comprehen-
dit: *Cum autem sic singula fa-
ctus est, (intellectus,) ut sci-
ens dicitur qui secundum a-
ctum: hoc autem tum accidit,
cum potest operari per se ipsum.
Est quidem & tunc potentia
quodammodo; non tamen si-
militer, ut & erat antequam
addisceret, aut inveniret. Lib.
3. de an: c. 4. t. 8. Et cap. 8. t. 37.
Anima Entia quodammodo est
omnia. & t. 38. Necessè est au-
tem, aut ipsa esse aut formas
esse. Ipsa igitur non; non enim
lapis est in animâ. Sed forma.
&c. Intellectus forma forma-
rum, & sensus forma sensibili-
um. Per se itaq; habet hæc
intellectus ut ea sit, quæ sunt
intelligibilia; quemadmo-
dum per se sensus. Et si non
per se haberet & in se, non es-
set illa omnia; quemadmo-
dum sensus. Sed omnia per
Phantasma, Quod contra*

Philosophum. Qui ut vult
sic intellectum esse omnia in-
telligibilia sicut sensum sen-
sibilia; ita quoq; vult eun-
dem servare sua, quæ facta
est, per id, quod *lib. 3. idem
dicit: per tales habitus nos
reddi aptos ad operandum
quando volumus.* Velle autem
non possumus nisi penes nos
manserit, operari ex nobis i-
pſis. Operatio transit. Si
cum eadem habitus, quomo-
do ad operandum nunc esse-
mus, quam prius, aptiores?
Certè scientia naturalis ser-
vatur in animo Physici, eti-
am dum dormit, & nihil a-
git, ita tamen facilis sit ad o-
perandum, ut semper quasi
gravidus, omni momento
redditurus, quibus impre-
gnatus animus est.

XVI. Taceo, quod hoc in-
felicior longe esset ipse Intel-
lectus potentiâ sensitivâ; quæ
secum & sibi præsentissimum
habeat; Intellectus nunquam
objectum suum; Et quod
posset potentia inferior; nun-
quam superior posset. Cum
tamen nihil adeò sit in infe-
riore perfectionis, quod non
etiam

C

etiam

etiam concludi debeat in superiore: ne hæc illâ imperfectior. Nam si aliæ potentiæ Cognoscitivæ habent objectum sibi præsens, non solum præsentia litate secundariâ illâ, id est, ut habent in aliâ inferiore præsens. Sed etiam præsentia propriâ & primâ: quemadmodum Phantasia non solum sibi præsentem habet speciem, in quantum ea præsens fuerit in sensu communi, sed etiam quia præsentem habet in Organo Phantastico: Et hoc cum sit perfectionis in potentiâ Cognitivâ, sc. posse habere objectum sibi præsens sub ratione, quâ est objectum talis potentiæ: Quid ni & Intellectus hac perfectione gaudeat; ut non tantum sibi præsens suum habeat objectum ex eo, quod hæreat in Phantasiâ, sed etiam, quia primò & immediatè, sibi inhæreat. Ne infelicio reddatur.

XVII. Non ergo orbandus hac perfectione intellectus, quam laudamus in sensu. Ipse ergò ex se potens est recipere suum objectum, quo agat, &

quod intelligat. Passivus enim est, teste Philosopho; Nulli in hoc subicibilis, Qui omnium etiam Dominus operationum in homine: Deliberatò enim agit homo, & cum consilio, quo habet, ut ad hoc potius se accingat, quam ad illud: Ergò non sine intellectu: Ergò ipse nec habet ex alio, ut operetur hoc vel illud; Sed quia sibi præsens est in objectorum ratione; illud eligit, non hoc: quia ipsius est speculari quod vult & quando vult. Nam nec eligere posset, quod non sciret secum: nisi, antequam sciret, dicendus scire. Electio autem præsupponit scientiam; Ergò illam non acquirit per Phantasiâ, ex quâ reperat, in quantum pro memoriâ fuerit: Quia ipsa Electio non est Imaginativæ potentiæ. Aut si non sibi præsens habeat, ut operaretur per se, nisi repetat omnino ex Imaginativâ memoriâ: Utiq; penderet in operationibus ab iisdem simpliciter: Ideo enim per se operari posse non dicendus esset, si quidem ut o-
pera-

peraretur alterius esset; quia nunquam habere posset objectum sibi conjunctum, quo per se intellectionem exerceret; Objectum autem & potentia sunt operationum causæ subordinatæ totales; nulla sine altera. Si igitur ipsum objectum ab organo dependeret Phantastico, Ergò & ipsa operatio. Quomodo penderet etiam in esse ab alio, aut non concludi posset esse sine re corporeâ, argumento Philosophi & Nostratum passim contra Atheos, ab Operationibus desumpto: *Ut enim illæ absq; corporeâ dependentiâ perficiantur; ita non possit ipsa earum radix & principium eandem excedere: adeoq; esse separabile, sicut perpetuum à corruptibili.* Quod secundum fidem quoq; est. Quam vera autem hæc Nostratum est consequentia: tam falsa ea opinio, quæ intellectui per se adimit, ut possit absq; mendicatâ præsentia objecti, in inferiori potentia operari. Contrarium probavimus hætenus. Præprimis hic videndus Clar: Voetius in

Tract. de. an. sep. p. 590. Ubi fusius probat Independentiam illam Intellectus in operationibus; Quam secus tueamur, si quidem operandi modos ex alio pendere asserimus, saltem quo ad principium inadæquatum.

XVIII. Pluribus possemus hanc nostram sententiam confirmare; Quæ adducere singula nostri instituti ratio non permittit; Excedunt enim paginas has, quas Disputationi concedere debemus. Non numerum spectamus. Sed qualitatem & vim: Quam ex præsentibus nobis promittimus. Super pondii etiam loco adducere potuissem Auctoritates à me facientes. Sed cum tot sint, & tantæ, reticendæ impræsentiarum; ut præteritione atq; silentio evitarim suspicionem ostentationis.

XIX. Palam ergò esse, concedi deberi necessariò Intellectui potentiam illam, quam dicunt memoriam, puto. Quæ & retineat secum, quæ cognoscit, & recordetur post tempus; recolat, atq; ita utatur,

etur, quibus frui licuit hactenus, per varios casus, rerum momenta, & multos labores comparatis. Quia enim Intellectus omnes conditiones ad recordari requisitas proprias habet; ipse talis sit, ut non repugnet memorativum esse. Imo esse necesse habet: quia Cognoscitivus & Intelligens Actus. Percipere tempus potest perfecte secundum omnes partes: & habere actum post tempus. Potest recordari cujusque objecti, cujus potest sensitiva: imò debet, tanquam facultas superior presidens, movens ipsos sensus, & sensationum Cognoscens: Potest multorum objectorum recordari, quae non potest recordari sensitiva: ut i. proximorum, ut pote omnis intellectio- nis & volitionis; item ultima sensationis: Quod enim talium recordetur homo, patet, quod secus posset poenitere de malis volitionibus: nec prae-teritam Intellectionem, ut prae-teritam, conferre ad futuram: nec per consequens ex eo, quod ista speculatus est, ordinare se ad speculandum alia sequentia ex iisdem: Atque ex his omnibus Cor-

scientia in intellectu destruitur; Prudentia vitatur: Omnis Intellectus & propria operatio negatur. Potest denique solus recordari Remotorum sibi quoque propriorum objectorum ut retro deduximus. Ergo & per se hanc naturam suam obtinet Potentiam. Quod probare intendimus.

XX. Nondum securi tamen sumus, nisi remotum quoque sit, quod contraria pars urget: Quod ut maxime stabilendam nostrae sententiae erit; ita cum precio forte, si tollamus citius. Brevibus agamus. Praecepta retro, hic non repetenda. Indicanda tantum. Etiam quae potioris notae fuerint obijcienda nobis, considerabimus. Plurima enim nullius ferè momenti, & in Autoritatum acceptione consistunt. Praeprimis autem adversatur nobis Opinio celebris. Negat ante & post intellectionem aliquid dari in intellectu, quo rationem memoria sortiri posset. Non esse illud, nisi dum intelligit. In Phantasia repostum sit, quomodo intellectus quoque ibi memoriam habere dicendus.

Phan-

Phantasiam esse apertum li-
brum, in quo legat intellectus.
Phantasia renovante imagina-
tionem speciei, intellectum quoque
ejusdem. Tam diu esse in Intel-
lectu speciem Intelligibilem,
quamdiu in Phantasia, Phan-
tasma actu. Quoniam a Phan-
tasmate pendeat in esse & con-
servari: Quo fiat ut intelle-
ctio formaliter sit presentia spe-
ciei in Intellectu: Causaliter
verò sit presentia phantasmatis
actu in Phantasia. Fiat quoque,
unam tantum esse memoriam
sensitivam, que primò inservi-
at Anima sensibili, secundariò
Rationali. Proinde nullam da-
ri memoriam Intellectivam.
Indigna animo nostro sen-
tentia. Ratiocinantur autem.
Si species ad modum habitus im-
primeretur in intellectu, intel-
lectus necessario semper intelli-
geret. Consequentia ratio
est: Quia est species abjuncta à
materia: Teste autem Philoso-
pho, abjunctum à materia sem-
per actu intelligibile. Imò est
actu intellectum: ipsa intelle-
ctio. Additur propterea ne-
cessitas contradictorii: Im-
plicare quippe, presentem esse

speciem & non fieri intellectio-
nem. Atque adeò necessarium o-
mninò esse, ut facultas Cogno-
scitiva cognoscat actu illa, que
actu recepta habet. Verum ta-
men opus esse, unde conserven-
tur species. Non autem in intel-
lectu, quia illis positus, actualis
est cognitio, ut dictum. Atque o-
mnium simul cognitio aut plu-
rium dari impossibile. Ergo &
conservari. Ergo alia poten-
tia hæc erit conservatrix.
Conservativa solùm. Præter
memoriam sensitivam verò
nullam esse.

XXI. Respondemus autem:
Quod si negaremus cum mul-
tis species; sed inclinationem
naturalem potentia ad obje-
ctum urgeremus, nos adeò fe-
rret argumentum: Ut inverti
possit commodè. Quod species
necessariò sint cognitiones actu:
multorum autem in nobis recor-
datur intellectus. Ergo sine spe-
cie. Ergo per Sympathiam na-
turalem: quemadmodum tra-
hit ferrum Magnes, per potenti-
am in nominatam: atque adeò
uniri Sympathialiter cum obje-
cto potentiam. Inde non ti-
menda consequentia ista; aut

omnia quæcunq; inflectun-
tur. Posset enim secum serva-
re memoriam intellectus co-
gnitorum citra speciem; solâ
habilitate inductâ, qua condi-
tionem sortiretur memoriæ:
Nam nec ea labilitas intelle-
ctus, ut non meminerit pro-
prij actus per se. Ergò quî non
aliorum etiam, cum & per ac-
tum. Nunc verò cum admit-
tamus etiam species istas. N.
C. Quia ob præsentiam speci-
ei neutiquam inducitur ne-
cessariò & absolutè actualis
Cognitio: Quia 1. *Ipsa est a-
nima maximè sibi præsens. In-
telligibilis etiam. Non tamen
semper actu. Quod enim ibi spe-
cies agit vice alterius hoc ipsa
per se sine specie. Concluden-
dum de ipsa, quod de specie.*
2. *Species connate universales,
quæ vñc à Philosopho dicuntur,
præsentissima sunt intellectui.*
*Quia nusquam, extra illum. Eo-
rum Cognitio, nec semper actu-
alis. Licet actu adsint semper.*
Probatio quoq; superioris
consequentia nulla est. Quia
*hec ipsa maximè à materiâ sunt
abjuncta: nec tamen continua
Cognitionis. Proinde nec illa*

vera, quæ subjunguntur. *Co-
gnoscitiva cognoscat actu illa,
quæ actu recepta habet.* Nega-
mus enim de illis, quæ Ratio-
nis compotes sunt: Hæ enim
liberè divertiri possunt ex se ab
operationibus suis, præsentem
etiam objecto. Sic intellectus
liberè digreditur ab hoc ad il-
lud; Regreditur item per dis-
cursum. Nam nec inferre pos-
set unum ex alio. Nec unquam
cessare ab operando. Semper
necessitas prætendi potest ista.
Non digrederetur à subjecto
ad prædicatum per verbum,
quod copulam vocant; Non
à Medio ad extrema inferen-
da: Præsertim ubi medium
latet; eruendum autem est.
Ubi enim maneret simplex
species, sine actuali ejus co-
gnitione. Præsertim in longâ
inductione? Non ergò adeò
solicitus sis ubi locum quæ-
ras extra intellectum, specie-
rum receptivum. Ipse sibi lo-
cus est. Non inducas *superfi-
ciem ex 4. Phys.* Retinentia
est. Nec illud tibi mirum:
*Cognoscitivum esse Conservati-
vum.* Illud enim impossibile
opinionem videtur. Nam nec
cogno-

cognoscitivum posset sui
proprii actus recordativum
esse post actum sine alio con-
servante. Falsum tamen. Nec
mireris nunc istud artificium
in sensuum parte. Nullum
esse Cognoscitivum, quod Con-
servativum sit. Hoc explere
memoriam; illud cæteras po-
tentias. Magis mireris illud;
Cognoscitivum posse esse Con-
servativum: Angelos bea-
tos; Spiritus omnes item;
Animam separatam, cogno-
scitiva esse, non negabis. At
eadem non conservativa di-
xeris? Quî enim Cogniti-
onum habeant secum supel-
lectilem. Quî præteritorum
habeant scientiam? Omni-
um simul & præteritorum &
futurorum cum præsentibus
habere actu scientiam, nec
ut talia sint, finitudo nulla
patitur. Non substituas ergo
Cognoscitivæ Intellectuali
Organon sensitivum, quo
condat sua. Non Phantasmam
introducās; à quâ submini-
strentur species. Universalium
& Immaterialium sim-
pliciter, incapax sensuale Or-
ganum. A Phantasiâ non de-

pendet in reflexione ad illa
Intellectus. Nec ut cogno-
scat ab Eadem requirit. Non
evadis, sed impingis maximè;
dum Te magis explicas: *Sci-*
entiam Universalis non rema-
nere actu in animo, ut univer-
salis, sed potestate maximè pro-
pinquâ in suis causis, quia ser-
vantur in memoriâ imagines
particulares, & in intellectu
aptitudo abstrahendi concep-
tum universalem absq; ulla dif-
ficultate. Solam ergo quan-
dam habilitatem statuit in
intellectu opinio hæc: quâ
se ille convertat ad Phantas-
mata. Quod perinde est, (*ut*
Scaliger ait) atq; *si viator in*
ore non habeat, sed in perâ ci-
bum. An tanquam Ægyptius
afello Isidem: Sic intelle-
ctus Phantasticæ memoriæ
species imponit ad vehen-
dum? Additq; & fustem, si o-
pus sit. Apage. Non abludit
hæc sententia ab Avicennæ,
Intelligentiam introducentis
quæ susceptiva sit Intelligibi-
lium. *Reflectat ad hanc intel-*
lectus, & repetat, quod vult.
Felicitem tamen Avicennæ
puto; eo quod Intelligenti-
am

am hanc fecerit etiam locum
per se scibilem. Proximior
via est. Quam si toties à phan-
tasmate abstrahas. Falsam
verò utramq; opinionem es-
se docemur à sapientibus.
Prior Avicennæ dudum pro-
fligata. Posterior successit.
Eodem gladio jugulanda.

XXII. Nam 1. falsum est, in
Phantasiâ subjectari omnium
particula res imagines; quo-
rum Intellectus recordatur.
Ut ad nauseam dictum. 2. Fal-
sum quoq; intellectum respi-
cere semper ad phantasmata
singularia: à quibus abstra-
hat denuo & iterum univer-
salia: à quibus & per quæ se-
cundum viam negationis de-
scendat ad Spiritualia. Non
ab externo & corporeo reci-
pit Eadem; licet per externa
& corporea in ea inducatur.
Sæpe anticipari Universalium
& Spiritualium Cogniti-
onem palam est. Experimur
enim. Expertus Ego, dum scri-
bebam hæc. Non tam Uni-
versalium obliviscebam, quàm
singularium. Conclusiones fa-
ctæ citius obversabantur ani-
mo: quam quæ concluderim

occasione: quo particulari
inductus. Imo Universalissi-
mo habitu instructi sunt
multi, qui minus utuntur
particulari, nedum ut regre-
diantur ad singulare Phanta-
siabile semper. Spiritualium
per se datur cognitio absq;
materiali. Materiale autem
tantum est subicibile Phanta-
siæ. Præterea sæpe memi-
nimus rei etiam, non secun-
dum terminos, quorum spe-
cies, concepimus, sed etiam
secundum alios. Sed similes
tamen. Hocq; magis iis con-
venit, qui illustriore intelle-
ctu pollent. Ergò per se na-
tus Intellectus conservare e-
adem: à quibus Immediate
deducitur ad Cognitionem.
3. Per se ipsam conficitur hæc
Opinio. Nam si habitus, eti-
am ut nuda qualitas & facili-
tas, animo per se competit.
Non poterit huic competere
nisi simul & scientia. Activus
enim habitus est, & inclinans
in certum objectum; In quod
non inclinaret. Nesciret e-
nim. Non magis enim incli-
nare dicitur ad illud, quam
hoc, quod utriusq; ignarum
est.

est. Ipsum objectum requiritur, idq; cognitum, ut determinet eandem potentiam proximam. Non minus enim vaga esset, ac prima. Non coeca potentiam habitum dixeris & passivam tantum. Intentionalis vita est, quæ per se movetur ad operandum: Usu se perficit, ut in hoc magis inclinaret, quam illud. Cognoscit ergo simul, dum inclinatur. Et in quod. Neq; enim Intellectus se receperit tanquam ad signa, si non meminerit, hoc sibi esse faciendum. Except. Inclinat ad phantasmata, ubi latent coetera. Contra. Ergo non in proximum objectum, ex quo magis habitus introductus; sed remotum longè. Ergo tamen nec inscienter: ut sciret, antequam sciret. Neq; in omnia confuse aut fortuito in hæc: sed certa. Earum igitur meminerit, antequam se convertat. Aut ille quasi resseram specierum apud se retinuerit, cujus collatione reposeat depositum. Aut ordine collocatae fuerint, quo repetat: Atq; sine ordine certam demit. Nec ex ordine adimitur scientia, Ipse ordo non

ignoretur. Nescit ergo intellectus quo se convertat. Aut si scit: Scit igitur species. Non requiret ergo. Scit ergo, quod abstrahat. Non enim se ad abstrahendum hoc converteret. Ant nunquam sciens erit, nisi dum se converterit. *Vide & Confer §. XV. & XVI.*

XXIII. Non inficior interim intellectum uti memoriâ sensitivâ, & phantasiâ. Mutuas operas locant. Et circulus est, per quem Intellectus discurrit. Præsertim quando oblitus est. Anxiè se movet. Excudit loculos omnes. Et quæ quasi in subsidiis reposita sunt, in memoriâ sensitivâ, disquirit: donec potiatur quod quæsierat. Ut sit tanquam succidanea, ac potius succenturiata. Non negandum tamen per se esse scientem intellectum, nisi ad phantasmata regrediat: ibiq; de novo arduum abstractionis opus semper aggrediatur. Utitur Phantasiâ. Abusus est, quem hæc opinio tradit.

XXIV. Nunc alteram questionem adcedo, in quâ resolvenda tanto brevior ero; quando
D tò

to prolixior in priore fui. Faci-
lior hac erit, postquam constat
ex superioribus: Intellectus per
se esse memoriam: Eamque ut per
se actum vitalem; ita per se o-
perativum. Eum ut omnium in
corpore intuentem. Ita à nullo
cognoscibilem: Nisi à se ipso.
Eundem in inferiore organo
sentientem: Et secum Discur-
rentem. Nullam perfectionem
superiori denegandum putavi-
mus; quam inferiori concedi
vidimus. Ita & Deus recorda-
ri diceretur verè, nisi uno actu
ab eterno omnia presentia ha-
beret: & posset habere actum
post tempus. Infinitus namque est.
Etiam nunc tamen ad nos quo-
que scriptura id Deo per similitu-
dinem tribuit. Angeli autem,
non omnes intellectiones perpe-
tuas habent: finiti nam sunt;
Et preteriti & futuri rationem
includunt. Absolutè ergò recor-
dantur. Ergò nec illud intelli-
genti substantia negandum. A-
nima autem talis est. Est ita re-
cordatio intellectiva potentia
per se: Ergo per se quoque talis
potentia id comitabitur, cuius
est propria passio. Ab essentiâ
enim egreditur. Necessariò eti-

am. Ergò cum eadem servabi-
tur quoque: ne propria separen-
tur, quæ immediatè etiam cum
essentiâ concurrunt. & essentia-
lia sunt. Nunquam divellis quæ
Eadem sunt. Ea dignitas ani-
ma, ut ipsa facultates sit; Per
se principium à seipso ad ope-
randum absque distincto acci-
dente. Non linquet ergò, post-
quam migraverit ex corpore,
quod ipsa est anima. Nisi se ipsam
deseruisse dicatur. Mansisse &
abiisse item. Si ergò anima talis
facultas per se sit, atque separabi-
lis: Per se quoque, quorum in ter-
ris & in corpore habuit cogni-
tionem; eandem post corporis
amissionem habere posse. Ut e-
nim in conjunctione cum corpo-
re eam per se possedit; ita sine
corpore potest conservare se-
cum. Non enim in corpore ha-
buit: Licet ipsa in corpore fue-
rit. Per se enim ut receptiva
est cognitionis: (Angelus se-
cus non esset quoque;) atque in hoc
contingit corpori jungi: ita &
per se eandem tueri potest.
Quamquam à corpore sejun-
cta. Ut discursiva sit de iis, quæ
novit; corporis non est. Ergò
ut maneat extra illud, nil im-
pedit.

pedit. Ex se enim habet. Etiam dum nunquam corpori jungatur. Impossibile ergo non est ipsam separatam omnium rerum posse habere memoriam, quarum conjuncta habuit. Quia & principia & subjecta & omnia requisita ad illos actus in statu separationis dantur.

XXV. Posse animam servare memoriam post mortem dixi. Expediit posse, nunc dicendum. Pura enim tunc intellectio erit semper: Per intervalla nulla, quae objiciantur. Extra corporea enim est. Secum est. Nihil est, quod intercurrat, aut impediatur intellectum. Libera est ab omni corporeo interveniente. Nihil impedit. Nihil occurrit otiosi. Nihil inordinati. Omnis ergo Memoria promptior; facilius quoque. Ergo cum & possimus recordari; & felicius adeo; qui negemus ipsum recordari actuale?

XXVI. Non dubito amplius asserere. Et qui possum? Videtur ipsa perfectio Anima esse, non dememinisse quae sciverit. Ipsa scientia firma & stabilis. Distinguo tamen. Duplicia a deo sunt, circa quae occupari contingit. 1. Simplicis perfe-

ctionis. 2. Singularis humanae conditionis. Ea sunt, quae vel perficiunt hominem naturaliter & per Philosophiam; Vel spiritualiter & per Theologiam. Haec, quae afficiunt hominem singulariter & in peculiari statu ponunt; Actiones & actionum circumstantia. Priorum absolute puto reminisci animum: Philosophica tamen distinguo iterum. Posteriorum non item. Plurimorum tamen debere quoque. Non auferam ergo scientiam Dei. Non totam certitudinem fidei: Non promissorum Dei. Ex ratione enim Dei erit horum meminisse se; quae sciverit, ut impleta cognosceret. Ille promissum suum implevit, qui & cum videas, & cum audias idem est. Videbimus qualis sit; quantus; unus sit. Ut, quem videas Deum, idem sit, quem audivisti in terris, necesse est non oblitum esse, qualem audiebas. Idem Deus autem semper est. Quid de Doctrina fidei dubitem? Certum me futurum certissime confido, & confirmari de Creditis. Non aboleri eadem. Ut nescirem, quae crediderim his in terris; quam

verè etiam; nunquam evenire
credo ipse.

XXVII. Quid de Philoso-
phia sentiam, exponam brevi.
Practica vel ea est; vel The-
oretica. Talis etiam Scientia.
An Physicam, Metaphysicam,
Alias etiam scientias dixerim
mansuras? Ajo. Imperfectum
deme. Inutilia prascinde. Non
inficior multa in Disciplinis his
ignorari; aliqua non rectè
percipi. Errores ideò esse. In-
utilia multa cumulata. Otio-
sa superstiosorum ingeniorum
inventà. Deme verò hac, &
prascinde. Non ignorabis ta-
men, quantum ignoraveris:
quantum erraveris: Inutilia
quanta ex speculatione adje-
ceris. Ita perfecta illa celestis
scientia perfectè estimabitur
ex opposito. Intererit enim
gloria Dei, non nescire, quan-
tum lucratus sis. Illud autem
optimè fiet; si non ignorabis,
quæ sciveras olim. Dicam il-
lud: non potest non esse, ut
dum scis aliquid; non scias eti-
am & advertas, te illud nun-
quam scivisse. Recordaris er-
gò. Metaphysicam & Physi-
cam praprimis statui illi ven-

dico: Spirituum enim & in-
feriorum corporum perfectam
scientiam. Illa laus Dei non
aberis, quæ Creatorem visibi-
lium & invisibilium pradicat.
Necesse est autem præstantiam
Creaturarum aestimasse; aut
ad minimum non ignorare E-
asdem fuisse. Dubium perinde
non est, qui compararit sibi in
terris multorum scientiam;
eorum quoque retenturum me-
moriam. Exc. Posse novam
infundi: R. Posse. Non opus
verò est. Perfici super est, ut
digna sit beato. Ex opposito
etiam infideles plectuntur ob
negligentiam in addiscendâ
cognitione Dei naturali. Rom.
1. Inde mitiores quoque poenas
habituros Gentiles, qui tali
notitiâ profecerunt, statuunt
Theologi. Practica nunc spe-
culabor. Virtutum commer-
cium non cessaturum. Non du-
bito, Aristides, Hercules, Jo-
sephitas, Jobos, habiturum
me ibi. Justos volo, fortes,
castos, patientes. Alios non
nomino. Referas Tu. Nam e-
undem animum servare arbi-
tror, quem semper habuerunt:
Et cujus fuerunt: non deme-
minisse.

XXVIII. Et

XXVIII. Et quid porro? Ipsa anima meminerit, in quo corpore habitaverit. Quam domum coluerit. Non repetere desideraret. Nesciret se ipsam animam, quidquid fuisset. Appetit ergo ipsum corpus. Socium amat, dum in caelis est. Quid verò? Expeditionem diximus animum in actibus suis extra corpus. Et nunc quid dicam illud appetere, quo remora erit perfectioni? Acquiesce. An quia dulce ipsum Amicæ consortium non sine molestia etiam? Aliter enim amicam osculamur, aliter alios. An quia Vidua, libera à Mariti vinculo, nunquam non delectantur jungi eodem. An quia intra Amicæ brachia comprimi etiam et urgeri dulce? Illud non afferam. Nec timendum, ubi ipsum corpus perfici constat. Ubi illis affectibus non torquebitur: Aegritudinibus nullis. Harmonia omnium perfecta. Non enim imperfectum Beatum. Appetit ergo Anima conjungi, non cum alieno, sed cum suo corpore. Sciet ergo quale fuerit. Et cuius etiam. Non ignorabit ergo statum suum,

quem habuit in terris: quo usus vita genere: Quem Amicum habuerit; Quos bene factores: Osores quos. Et pro illis Orare Animam in caelis: Militantem Ecclesiam etiam, praecipuis eum coetum, cuius membrum fuit, Deo commendare: Afflictiones narrare: Concessum apud Theologos nostros. Quia concedi à Divinâ scripturâ sciunt. Animas defunctorum poscere vindictam sanguinis. Heluonem recordatum Amicorum et fratrum suorum. Qui et quot fuerint. Non nescivisse Lazaram. Non nescivisse, qui torqueatur. Vult enim, ut abstineant fratres ab eo. Ne eodem loco sepeliantur secum. Non ignorabit ergo, quantum peccaverit, et quantum nunc torqueatur justè. Conscientia mala non aberat. Decet enim, ut, ob qua afficiaris premio, non nescias: ita ob qua pœnis quoque et supplicis. Atque adeo certum est. 1. Dam-natos in inferno cruciatuum non ignorare causas. Iustitia Dei non plectit ignorantes. Conscientia propria testis est, qua ut accusat; ita damnat.

D 3 quoque

quoq̄. Conscios ergò. Vermis eorum non morietur. Esai. 66. Ergò recordabuntur certè. Unde haec furia, unde dolor tantus; Unde tanta pœna, quam patientur: Et ob qua? 2. Non ignaros beatos dico quoq̄, ob quod tanto premio, tanto gaudio digni sunt. Non suo merito: Sed Salvatoris dono. Illud autem non agnoscerent, ut possent, nisi scirent, nullū suum fuisse meritum: Nisi scirent peccatores quoq̄, fuisse. Misericordiam autem datam sibi. Quam cantabunt in aeternum. Psal. 88. Non Misericordem vero predicabis, quem misertum non meministi: Aut te dignum hoc; nec ne. Non cantabit Paulus misericordiam istam in cœlo, quam accepit & laudat in terris. Nisi meminerit quoq̄, quanta & qua olim facta sit. Verbo: Omnes reddemus rationes. Etiam de verbo inutili. Ergo non nesciamus ejus nos reos fuisse. Ne de injuriâ questio. Ne dubites ergò porrò & quaras. Ne contra scripturam.

XXIX. Contraria opinionis vestigia nunc delebo. Insaniam

Socinianorum non attingam nunc: Dormire Animas post mortem volunt; Somnia verò edunt, dum somniare fingunt animam. Ut ipsorum opinio Somnium merum sit, & Lucianum figmentum. Non refutatione dignum. Nobis autem adversum tenet Paulus Voetius, Magni Gisberti Filius similis. Tract. de an. sep. q. 5. Negat enim species intelligibiles, id est scientiam Comitari animam post mortem. Ejus argumentis satis facturus sum. Primum ergo est: Species in hac vitâ in animâ non esse defecatas, ibi puriores requiri. Fortè, quia purior ibi & perfectior Cognitio, neq̄ egebit imperfectis speciebus: ut alterum argumentum habet. Jungimus enim: quia Eadem ferè. R. Non nocet. Animam separatam quidem habituram cogitationes multò perfectiores concedim⁹. Cum quo tamen benè stat, ut habeat alias plures aequales & similes his, quas in corpore habuit. Sicut homo adultus, licet habeat Cognitiones perfectiores eis, quas habuit puer, habet tamen alias omninò similes, ad
quas

quas priores deseruiunt. Perfectum ex imperfecto aestimatur. Nec sequitur, dum perfectum habeam, imperfecti meminisse me. Vid. Arriaga Disp. X. de An. sect. 3. subs. 1. n. 32. & 34. II. Quia probabile, in illa mutatione, que anima instar mortis est, Deum obliterationem omnium specierum induciturum. R. Nititur illud putativam hypotesi. III. Quia si animam comitentur species, reminisceretur eorum, que in Vita accidissent: adeoque forte peccaminosa in vita beatam aut molesta & tristes inciderent cogitationes. R. N. U. C. A recordatione ad tristitiam. Cum memoria sit indifferens ad letitiam & tristitiam. Ipsa scriptura asserit recordaturas, animas malorum, que perpeffe sunt: nec Eadem negat gaudia plena. Meminisse peccatorum potest. Tristari nunquam ideo. Latari potest de impetrata remissione. Misericordias cantabit Domini in aeternam. Obtinet hic, quod Aeneas sociis revocabat:

— Revocate animos, mœstumque
timorem

Mittite, forsitan & hac olim meminisse juvabit.

Securo & alto animo de laboribus nunc triumphant, nec pericula cogitant, nisi quia superata. IV. Quia dum erat in corpore, plerasque species à Phantasmatibus desum sit, ut animam aliis imbut oporteat. R. Nulla est consequentia. V. Ita ut probabile sit, animam impiam ipsam sibi formaturam species erroneas ab objectis presentibus in inferno: Deum autem inditurum anima beata novas species, quas etiam in caelo ab objectis presentibus mutuabitur. R. 1. ad prius membrum de damnatis: Concedi hoc posse. Verum ex his non potest acquirere species memorativas priorum. Memorant verò. 2. Novas infundi species beatis dubium. Sufficit ab objectis desumere novas. Veteres residere. Non dum probasti enim, Deum infundere, quibus dignoscant Amicos suos & dilectos, ne gaudio aliquid desit. Et si hoc etiam. Recordabitur tamen. Modum novum infers. Veterem non improbamus. VI. Obijci potest,

potest, & Malos habitus re-
mansuros. Errores item. R.
Tollitur si quid deficit. Qui
perfecto beatur, ex eo estimat
imperfectum, & meminit, non
quod habeat, sed quod habue-
rit. A memoria verò ad vitio-
sitate N. U. C. Indifferens e-
nim est. VII. Intellectum opus
haberi, ut respiciat ad Phantas-
mata semper: Hincq; laeso inter-
no illo organo, nihil intelligere.
R. Quo usq; se porrigit opera
Phantasia pro statu isto, sepius
dictum est. Subordinata haec ip-
sa potentia sunt. Quoties intel-
lectum contingit speculari, ip-
sum phantasma operatur ex or-
dine. Non tamen simpliciter.
Sepius adstringuntur omnes
sensus, ut liberior secum ipse in-
tellectus sit. Nec tam phantas-
mate movetur, quam movet,
propter subordinationem. Ledi
verò intellectum interno laeso
organo, intelligendum est, quod
impediatur quoad actum se-
cundum. Aliquod laesum praesens
potest impedire & obscurare a-
ctum secundum, ut hic redeat
eo prorsus ablato. Ita intelle-
ctus minus feliciter recordatur
ob turbulentiam sensuum in-

ternorum. Movetur; Et in pro-
senti receptione, & in ruminati-
one. Ita ledatur pes. Dolor se
intensior fuerit, non admittit,
intellectum esse secum. Nedum
cerebro ut laeso non turbetur ipse
propter istam sensuum & in-
tellectus harmoniam. Caro ul-
cere exesa, vulnus coire impe-
dit, quod coit eo sublato. Lesio
musculi in manu, plus nocet,
quam si totam abscindas. Ita &
intellectus & memoria impedi-
ri plus poterunt lesione cerebri,
quam si totum corpus aufera-
tur. Ad se enim rediet. Deinde
intellectum à se posse habere co-
gnitionem absq; phantasmate.
docet intellectus Angeli. Ergò
à statu conjuncto ad separatio-
nis. N. U. C. VIII. Multa in-
digna repetituram Animam.
R. Non absolutam omnium in-
duximus necessitatem.

XXX. Hac sunt quae impraesentia-
rum de hac materia commentari vo-
luimus. Qua minus rectè censebis
Lector, aequo animo accipe, corrige,
& communica mecum. Doceri nun-
quam puduit. Facies, ut consulatur
veritati. Non ab uno tecum sentire,
si vera dicis. Veritatis unico fonti,
& Patri, Jesu Christo, Domino
nostro sit Gloria.

o-
n-
se
it,
ne
se
n-
ul-
ne-
sio
et,
E
dit
ri,
ra-
de
co-
te.
rgo
io-
in-
m.
in-
tia
vo-
ebis
ge,
un-
tur
ire,
nti,
no


05 A 893


ULB Halle 3
003 768 686



VID 14







ANNUENTE DEO. H 32
Gu
DISPUTATIO PHILOSOPHICA
DE
**MEMORIA IN-
TELLECTVS**

An
Detur Eadem propriè dicta; Et Num Se-
parabilis cum animâ post mortem, quæ
comparata in his terris,

*CONSENTIENTE NOBILISSIMA FACUL-
TATE PHILOSOPHICA*

PRÆSIDE
GODOFREDO CREMERO,
ANHALTINO, PHILOSOPHIÆ MAGISTRO,

RESPONDENTE
**MARTINO CHRISTOPHORO
FRENSTORFFIO,**
ANHALTINO. SS. Th. & Phil. Stud.

HABITA PUBLICE
FRANCOFURTI AD ODERAM
In Acroaterio Philosophorum Majore
d. Jul. M. DC. LXI.
H. E. L. G.

—————
Typis EICHORNIANIS,